UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologiae Mysticae Sive Exercitiorum Spiritualium Admodum Reverendi Patris P. Aloysii Siderei, Alias Vincentii Caraffa, Societatis Iesv Praepositi Generali, Tomvs ...

ex Italico Latino recenter idiomate opera et studio fidelissimi cuiusdam interpretis donatus

Peregrinvs terræ. Fascicvlvs Myrrhæ Siue Considerationes Variæ Super Plagas Et Vulnera Christi D.N. Itinerarium. Seraphinus. Civis coeli

Caraffa, Vincenzo

Coloniae Agrippinae, 1660

Docet odisse.

urn:nbn:de:hbz:466:1-49469

Visual Library

cùm defecerit affectus, non ideo deficiat exercitium
natum.

CONSIDERATIO XII.

AMOR DEI,

Docet odiſſe.

DUm Virgo Deipara inter alias Virgines Deo ſer-
viret in templo, trés gratias in particulari petebat
à Deo. 1. amandi Deum perfectè, & ſuper omnia 2.
proximum, ut ſeipſam. 3. odio habendi inimicum Dei,
quod eſt peccatum. Quia magnum ſignum eſt, quòd
ſincerè diligat amicum, ſi oderit omnes inimicos illius.
Ergo qui amat Deum, debet odiſſe ſeipſum propter pec-
cata, quæ inimica ſunt Deo.

Magno ſolatio erit nobis in doloribus, & ærumnis
noſtris hæc cogitatio: Chriſtus eſt meus verus ami-
cus: Corpus meum eſt inimicus Chriſti: Valde igi-
tur Chriſto placet, cùm videt ſuum inimicum affligi.
Ideo Sancti in doloribus, & infirmitatibus proprij
corporis gaudebant; & multo magis in morte: quia
moriebatur, & moriebatur unus ex hoſtibus Chriſti.
Qui capit hanc veritatem dici poteſt inveniſſe venam
auri: quia gaudet pati, invenit delectationem in dolo-
ribus, vitam in morte: nec ſentit proprium dolorem,
præ ſenſu delectationis Chriſti. O Sancte Amor Dei,
doce me hanc doctrinam, ut odio ſancto proſequar
meipſum, gaudeam in patiendo, gaudeam delecta-
tione Chriſti, Vellem hoc odium nunquam deficere,
ſed durare uſque ad mortem, irreconciliabile, & ſine
induciis.

Cogita, quomodo Mater Dei oderit hunc inimi-
cum, non in propria perſona, quæ tota pura fuit, &
immaculata, ſine labe omnis peccati: ſed oderat pec-
catum

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

catum in ſeipſo, in propria ejus culpa & malitia: tantùm in ea creſcebat hoc odium, quantum creſcebat amor Dei. Hoc eſt igitur officium, & exercitium veri ſervi Dei, amare Chriſtum in odio ſui, & odiſſe ſeipſum in amore Chriſti, dicendo, amo Chriſtum in odio mei, & odi meipſum in amore Chriſti.

CONSIDERATIO XIII.

AMOR DEI,

Pulchritudo animæ.

SIcut is, qui magis accedit ad lucem, ipſe fit lucidior: ſic anima, quo per vim amoris propius accedit ad æternam pulchritudinem Dei, hoc ipſa fit pulchrior. *Ex ipſa luce lucida redditur,* ait Theodoretus. *Accedite ad eam, & illuminamini:* accedite paſſibus amoris ad lucem divinam, & ab ea fietis illuminati, pulchri, opulenti. Corporea pulchritudo, quæ tanti fit in mundo, eſt pulchritudo imperfecta, defectuoſa, ſterilis: aliud non habet, quàm ut parùm ſenſum oculorum oblectet. Sed ſpiritualis pulchritudo animæ, quæ eſt Gratia, eſt pulchritudo copioſa, fecunda: non eſt ſolùm pulchritudo, ſed etiam ſimul divitiæ, opulentia, magnitudo, & omne genus perfectionis ac boni.

Pulchra dilectio, dicitur *Eccl.* 24. Bene tibi convenit ô Sancte Amor, honeſtum hoc nomen Pulchri, Formoſi: quia pulchros & formoſos facis tuos amatores, qui te poſſident. O pulchra pulchri! pulchra es Caritas Sancta, vivum exemplum pulchri præ pulchris omnibus, eſt *ſpecioſus præ filiis hominum.* O quàm pulcher eſt dilectus meus, & decorus: pulcher in Humanitate, decorus in Divinitate!

O m

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN